Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift





superbia diabolo auctore inuenta: et in
peccato eius quo israel peccare fecit: quia
diabolus per superbiam toci peccati auctor
extitit. Reliqua sermonum hamri in sug
gestione insidiarum eius in delectatione.
et tyrannidis in peccati perpetratione.
in libro describuntur: cum scientie hominis ad
hoc imprimuntur: ut tam uerba quam facta lux
urie ab eo penis exigantur. SEQVITVR.

Tunc diuisus est populus israel in duas partes.
Media pars populi sequebatur thebni fili
um ginet: ut constitueret eum regem: et
media pars amri. Preualuit autem populus
qui sequebatur amri: populo qui sequebatur
thebni filium ginet. Mortuusque est thebni:
et regnauit amri. Populus israel in duas
partes diuiditur: cum inter iram et tristiciam
uita hominis se partitur. Media pars populi
thebni sequitur. quod palea mea dicitur. per quam
tristicia seculi exprimitur: quia sicut palea gra
nis euacuata inutilis computatur: ita seculi
tristicia nichil utilitatis habere comprobatur.
Thebni filius ginet scribitur. quod arrogantia
tua. uel ortus tuus dicitur: quia de primo
parentum arrogantia hoc progreditur: quod
in tristicia matris homo nascitur. et natus
continuo in planctum attollitur. Media
pars amri sequitur. quod amaricans dicitur:
quo nomine ire furorisque amaritudo
exprimitur. Cum enim homo deo uacuus in se
ipsum diuiditur: modo quidem inutilis tristi
cie torpore deprimitur: modo ire furore crude
liter impellitur. Populus amri populo thebni pre
ualet: quia furor ire torpore tristicie
cor hominis fortius urguet. Sic thebni
moritur. et amri regnat: quia tristicia cor
deserit: et ira cordis latitudinem occupat.
Allegorice que de hamri scribuntur: primo
parenti non inconuenienter asscribuntur.
hamri ciuitatem uidet expugnari: cum
primus ille parens castimargie in manitate se
sentit oppugnari. Palacium ingreditur: cum ce
cessa sibi libertate abutitur. Succendit secum
domum regiam. dum delectationis sue flammam.
in illa pulchram sancte trinitatis transmittit fabri
cam: que cum hominem formare disposuit.
quasi profundo consilio id agere uoluit.
Sic amri in peccatis suis moritur: quia primus
ille parens peccatis suis exigentibus morta
lis efficitur. Facit malum coram domino: quod non
potest expiari. nisi per ipsum dei filium. Ambulat
in uia hieroboam: imitando deceptoris
diaboli superbiam. Ambulat in peccato eius.
quo peccare israel fecit: quo ipsum a con
spectu dei repulit: qui ad uidendum deum creatus
fuit. Tunc israel populus in duas partes diuiditur: quia per gustum ueti
ti ligni spiritus caro protinus obluctatur. Sic populus israel in .ii.
partes diuiditur: cum per interpositionem mortis spiritus a corpore
secluditur. Media pars populi thebni sequitur: quod palea dicitur: quia
corpus examinatum palee inutili assimilatur. Media
pars ambri sequitur: quod amaricans dicitur: cum spiritus peccatis
obnoxius amaritudine mortis gehenne excruci
atur. Sicut autem hec de AMRI
persona primo parenti non inconuenienter aptantur:
sic etiam ea que de precedentibus impiis regibus scribun
tur. ad eum non incongrue referuntur. Porro que de
rege asa bono et recto scribuntur. dum reg
ni eius anni preuaricatorum regum catalago to
ciens interseruntur: per ea christi domini redemptoris
mysteria exprimuntur: per que prime preuaricatio
nis uincula soluuntur. Primus enim annus
regis asa ponitur: per quem incarnatio christi ex
primitur. Secundus annus scribitur: quo christi natiui
tas designatur. Tercius annus ponitur: quo bap
tismi eius sacramentum figuratur. Vicesimus
sextus annus asa scribitur: quo passio redempto
ris commendatur. Vicesimus septimus annus
asa ponitur: quo resurrectio christi denotatur. Tri
cesimus primus annus asa memoratur: quo ascensio
christi presignatur. Tricesimus octauus annus asa